



**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

III. De baptismo, confirmatione, eucharistia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](#)

si quos superiorum temporum ignorantia in-  
vexit, eliminentur<sup>1</sup>. Sed sola ordinariorum  
auctoritate, quibus multo magis novationes  
impedire, eisque resistere licet; qui devo-  
tionis obtentu, sive per ignorantiam sive per  
lucri cupidinem, divinum cultum alterare, &  
in sacris novo ritu ineptire audent. Si ex cer-  
tis caussis, veluti ob sterilitatem agrorum, ob  
inclemens cælum, ob hostium incursionem,  
aliasque calamitates, itemque ob victoriam ab  
hoste reportatam, aliaque divina beneficia, ex-  
tra ordinem Deus vel exorandus vel laudan-  
dus est; episcopus formulas præscribit, tem-  
pusque, & locum & formam indicat: qua in  
re nulla *judicium secularium auctoritas*, qui-  
bus cognitiones caussarum, ad officium divi-  
num pertinentium, interdictæ sunt<sup>2</sup>. De præ-  
dicationibus aliisque institutionis generibus  
*parte I. c. 12.* quantum satis est. Nunc de fa-  
cramentis dicendum.

1) Conc. in Trullo c. 43. conc. Trid. sess. 22. c. 25. in fin.

2) Mem. du Clergé part. 1. tit. 2. c. 5. nro. 6. 7. 8.  
c. 8. c. 4. n. 18. &c.

non a ju-  
dice sa-  
cramen-  
tari.

C A P. III.  
DE BAPTISMO, CONFIRMATIO-  
NE, EUCHARISTIA.

I.

Bapti-  
smus in  
ecclesia

BAPTISMUS, extra casum necessitatis, publi-  
ce in ecclesia, ubi sunt fontes baptismales,  
solemni ritu suscipiendus est. Olim ipsi infan-  
tes

res non nisi tempore Paschali & Pentecostali baptis.  
solemniter sunt baptizati: unde his diebus mali,  
etiamnum fontibus baptismalibus benedici so-  
let<sup>1</sup>. Post infantum baptismus, ne salus eo-  
rum periclitaretur, dilatus non est: sed adulti  
etiamnum solemnibus diebus ab ipso episcopo,  
si pote, baptizandi sunt. Ordinarius hujus  
sacramento minister est parochus, vel pres-  
byter ab eo delegatus. Et ob hanc spiritua-  
lem nativitatem potissimum ecclesiæ pastori-  
bus patrum nomen datum.

1) Cl. un. de bapt. SIRIC. ep. 1. ad Homer. LEO  
ep. 4. de consecr. dist. 4. c. 11. 12. 13. Rubr. Rit. Rom.

II. BAPTIZANDUM autem aqua na-  
turali, & vel per immersionem vel per infu-  
sionem. Infusio hodie usitata est, quum aquam  
capiti infundamus; sed veteribus immersio  
placuit usque ad saeculum XIV<sup>2</sup>, quæ exacte  
respondet baptizandi vocabulo, quod lavacrum  
sonat, meliusque exprimit mysterium baptismi,  
in quo una cum Christo sepulti sumus, ut ad  
exemplum ejus resurgentes novam vitam viva-  
mus<sup>3</sup>. Inter immergendum vel infunden-  
dum pronuncianda sunt verba, ex institutione  
Christi in ecclesiam recepta: *Ego te baptizo in  
nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti.* Si ex  
justis causis dubium sit de baptismo, veluti  
infantis expositi; adjecta conditione baptismus  
fieri potest, dicendo: *Si non baptizatus es, ego  
te baptizo &c.* ne baptismum iterare videamur.  
Quæ tamen conditio præter necessitatem adji-  
cienda non est<sup>3</sup>.

1) MARTENE derrib. l. c. L. 1. art. 14. num. 6.

2) Rom. V. 24. Coloss. II. 12.

3) C. 110. 111. 112. D. 4. de consecr.

*adhibitis sponsori- bus* III. OPUS est autem patre vel matre, vel ad summum uno patre & una matre lustrica, non pluribus, qui infantem baptizandum offerant<sup>1</sup>, nomen, quod aliquis e sanctis, ab ecclesia agnitis, gessit, imponant, pro eo stipulentur, educationemque current, quos propterea bene instructos & maturis annis esse decet. Baptizari possunt furiosi, qui ante usum rationis baptismum flagitarunt; sed invitatus nemo baptizatur<sup>2</sup>. Licet adulti per se respondere possint, habent tamen & ipsi parentes lustricos. Est autem hic actus instar adoptionis, operaturque cognationem spiritualem.

1) *Concil. Trident. sess. 24. R. c. 2.*

2) *C. 3. X. de baptism.*

*a quoli- bet Chri- stiano ad- ministra- ri potest;*

IV. URGENTE necessitate, missis his ambagibus, baptismus sola aquæ affusione & verborum divinorum enunciatione peragi potest a quacumque persona, modo & ipsa baptizata sit; nisi quod nemo semet ipse baptizare potest<sup>1</sup>. Interim si electioni locus, etiam hoc casu dignior indigniori, veluti diacono presbyter, clericus laico, vir feminæ præferendus. Quibus exemplis non palliandus est mos ille perversus, quo infantes, qui non periclitantur, aqua adsperguntur, simulatque nati sunt, ipso baptismatis ritu ex frivolis caussis, veluti dum parentibus lustricis commodius sit, in longius tempus rejecto<sup>2</sup>.

1) *c. 24. D. 4. de consecrat.* 2) *c. 4. X. de baptism.*

*non ite- rari.*

V. QUI inter hæreticos baptizati sunt in nomine sanctæ Trinitatis, ii sacro oleo tin-

Eti, per manuum impositionem, vel solam fidei professionem, recipiuntur in gremium ecclesiæ<sup>1</sup>. Baptismus autem ipse non iteratur, unum baptismum credentibus<sup>2</sup>. Qui id facit, excommunicationem incurrit, & rebaptizatus, si vel maxime per ignorantiam, irregularis fit<sup>3</sup>. Baptismus tantum effectus supernaturales producit; sed statum hominis externum non mutat<sup>4</sup>.

1) c.44. D 4. *de consecrat.* 2) *Ephes. IV.* 5.

3) *Concil. Trident. sess. 7. c. 9. c. 107. 108. D. 4.*  
*de consecrat.*

4) *Ibid. c. 117. 118. 1. Cor. VII. 17. 20. 24.*

VI. NEC confirmatio iteratur, cuius aequa ac  
administer ordinarius est episcopus. Adhiberi hic quoque potest pater lustricus: quod  
tamen fere in desuetudinem abiit<sup>1</sup>.

1) *Concil. Trid. sess. 7. c. 3.*

VII. EUCHARISTIA dumtaxat inter  
sacrum missaticum ritibus ab ecclesia appro-  
batis consecranda est. Hujus materia est *panis*  
& *vinum*. Ex traditione ecclesiæ latinæ vino  
paullulum aquæ affundendum, & panis azy-  
mus sumendus est<sup>1</sup>. Quemque fidelium, sin-  
gulis diebus dominicis, & festis præceptis, toti  
officio assistere decet, & quidem in sua paro-  
chia Missæ solemnī, ut a pastore suo doceatur,  
& preces suas conjungat cum cœtu eorum,  
cum quibus ipse Deo volente conjunctus est<sup>2</sup>.  
Qui tribus diebus dominicis continuis desunt  
officio, ii a pastore episcopo denuntiantur, &  
qui inter sacrum profanis spectaculis assident,  
ii sacro fulmine feriuntur<sup>3</sup>.

M 2

- 1) Concil. Trident. sess. 21. c. 5. c. ult. X. de celebr. Miss. c. 2. D 2. c. 64. 65. D. 1. de conf.
- 2) Concil. Trid. sess. 24. c. 4.
- 3) Concil. Senon. 1528. c. 11. vid. Ritual. Paris. de P. S.

saltē  
minus so-  
lemnis;

VIII. IN casu necessitatis sufficit, mis-  
sæ minus solemnii devota attentione assistere.  
Missa conventualis seu *solemnis* celebranda est  
post Tertiam; *minus solemnis* ab aurora ad me-  
diūm diem <sup>1</sup>. Eucharistia exhibetur inter sa-  
crum missaticum statim post communionem  
presbyteri. Olim cuncti fideles ter quotannis,  
scilicet tempore Paschali, Pentecostali & na-  
tali domini, ad eucharistiam accipiendam ac-  
cessere <sup>2</sup>. Sed concilio Lateranensi sufficere  
videbatur, si semel id fieret per quatuordecen-  
ne Paschale <sup>3</sup>. At sacerdotes toties, quoties  
sacrum faciunt, communicant <sup>4</sup>. Hodie nis Ecclesiæ latīnæ moribus solus presbyter sacri-  
ficans sub utraque, ceteri sub sola specie pa-  
nis communicant. Sed pontifex, prout id  
expedit ecclesiæ, integris gentibus permettere  
potest etiam calicis usum <sup>5</sup>.

- 1) c. 48. c. 66. D. 1. de consecr. 2) Ib. c. 19. D. 2.
- 3) C. omn. uriusque X. de pœnitent. & remiss.
- 4) c. 11. 12. D. 2. 5) Conc. Trid. sess. 12. c. fin.

euchari-  
stia ægroti-  
tantibus  
deferen-  
da.

IX. PRO ægrotis in singulis Ecclesiis  
parochialibus in ciborio puro & solido, ta-  
bernaculo inclusō, asservandæ sunt consecratæ  
particulæ, quatuordenis diebus renovandæ <sup>1</sup>.  
Si ægroti Eucharistiam flagitant, ea deferen-  
da ad ipsos cum summa reverentia, ut popu-  
lus ad eam adorandam invitetur. Si est ulti-

mum viaticum, competit hoc munus parocho,  
aut presbytero ab eo delegato <sup>2</sup>. Publicis pec-  
catoribus & personis infamibus denegatur Eu-  
charistia. *Venerabile* autem non nisi justam ob-  
caussam & Episcopo permittente exponi de-  
bet <sup>3</sup>.

1) c. 93. D. 2. concil. Trid. sess. 13. c. 6.

2) Ibid. c. 29. C. 10. X. de celebr. miss.

3) Ib. c. 95. ex Cyprian. decr. congr. concil. 164.



C A P . I V .

DE POENITENTIA, EXTREMA  
UNCTIONE, ORDINE.

I.

**P**OENITENTIA fidelibus omnibus, qui peccata mortalia commiserunt, saltem semel quotannis est subeunda, cui rei appri- me convenit tempus quadragesimale <sup>1</sup>. Con-  
fitenda sunt peccata parocho, seu ejus delega-  
to, aut pœnitentiario aut Episcopi delegato presbytero <sup>2</sup>. Quamvis omnes presbyteri ordinati accipiant potestatem *absolvendi*, non possunt tamen eam exercere iussu Episcopi, qui vel beneficium cum cura animarum con-  
junctum, vel sine beneficio post prævium examen, consensum concedit <sup>3</sup>. Hæ permis-  
siones ad certas personas, ad certa loca & ad certos casus restringi possunt. Ut plurimum enim eximuntur absolutiones monacharum, quibus exquisito confessore opus, & nonnulli casus atroces, quos sibi reservat Episcopus <sup>4</sup>. Etiam Regulares, & in his ipsi mendicantes,

Absolu-  
tio im-  
pertitur a  
presbyte-  
ris.